



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exercitia Spiritualia Ad Mentem Et Normam D. Ignatii

Conscripta & Adaptata Usui Personarum Ecclesiasticarum Pro sacra solitudine singulis annis ineunda, & in octo vel decem dies protrahenda

Maffei, Pietro Antonio

Augsburg ; Regensburg, 1740

VD18 80488153

Pro die septima Meditatio secunda. De vita privata Jesu Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60272)

quod per fidem fulget in mente. Per Dominum nostrum IESUM Christum &c.

Dies septima.

Meditatio decima quarta.

De vita privata IESU Christi.

PERACTA oratione præparatoriâ, formabis tibi duo sequentia præludia.

1. Pone tibi ob oculos Christum iam adolescentem, in officina lignaria patri suo nutritio, D. Josepho, variis occupatum laboribus, famulam, & sociam locare operam, minimos nutus accipere pro imperiis, etiam à Bma. & virginea Matre sua in rebus domesticis, omni illa reverentiâ & subiectione, quæ à filio morigero erga matrem amantissimam expectari, & exigi potest; cerne ipsum ministeria exercere vilissima, abjecta & servilia, scoppis mundare, & evertere domum, dividere ligna, ea lævigare, dedolare, polire, & his similia &c.

2. Christum rogabis, ut hanc suam officinam mutet in scholam, in qua tanquam optimus, & peritissimus Magister te doceat non tam verbis, quàm factis, & proprio exem:

exemplo exercere virtutes heroicæ. Hunc in finem ita Deum cum Davide alloquere Psal. 24. *Dirige me in veritate tua, & doce me.* vel illis Psalmi 37. verbis: *Disciplina tua ipsa me docebit.* His ipsis uti potes pro orationibus jaculatoriis hoc tempore pomeridiano.

Meditatio dividatur in tria puncta sequentia:

1. Vita privata, ac domesticæ Christi fuit continuum in virtutibus incrementum.
2. continuum exercitium obedientiæ.
3. continua oppositio, & eversio axiomatum mundanorum.

Punctum primum.

Perpende verba illa D. Lucæ c. 2. *Jesus proficiebat scientiâ & ætate, & gratiâ apud Deum, & homines:* hoc est, perpende, quomodo Christus creverit annis, quomodo creverit virtute; quomodo creverit coram Deo & coram hominibus.

1. Crescebat JESUS corporis proceritate, viribus & robore; potuisset Christus, si libuisset, in primo statim in mundum ingressu assumere staturam hominis perfecti, & omnibus numeris absoluti non minus, quam Adamus ex terra Damascena formatus est, non ut infans, qui sensim in virum ex cresceret; sed vir jam maturus, in quo ad virilis ætatis perfectionem desiderari nihil pote-

poterat: sed maluit Christus percurrere omnes ætatis humanæ gradus, infantiam, pueritiam, adolescentiam, virilitatem, & infirmitatibus cuius harum ætatum propriis subjacere, hac ratione sacrandô varia vitæ nostræ tempora.

Roga Deum, ut merita sua, quavis vitæ suæ ætate tam sanctè peractæ ubertim collecta, adhibeat, & suscipiat ad delenda delicta illa, quæ tu in quavis harum ætatum classe commisisti: clama, & exclama: *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.* Ps. 78. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.* Psal. 24.

Finis, quem Christus spectabat, corpus suum alendô, & augendô, erat unicus, ut aptum fieret ad tolerandos labores, dolores, & mortem acerbissimam sibi ex decreto immutabili Patris divini subeundam. Et tu quem in finem hæctenus corpus tuum aluisti, & cuticulam tam delicatè curasti? an actionem istam, cum brutis communem unquam studuisti per intentionem, te & Deo dignam, ad altiorem & supernaturalem finem elevare? Non te latebit, ab Innocentio undecimo sacro prostratam fulmine propositionem illam, qua dicebatur: *Comedere & bibere ad satietatem, ob solam voluptatem, nullum est peccatum.* Et nihilominus quoties tu in hunc defectum incidisti, ut in bibendo & comedendo præter gustûs voluptatem aliud, vel altius nihil quæreret, aut spectares? finis in alendo per

per cibum & potum corpore, alius esse non debet, quàm ut sanitatem, & vires conserves ad Dei obsequium necessarias; & tuo statui annexa onera portanda sufficientes.

Ne mireris proin, si hactenus corpus tuum sensisti refractarium, contumax, & recalcitrans: *qui delicate à pueritiâ nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem.* Prov. c. 28. tot deliciae & lautitiae in vestitu, in lecto, in cibus, in potu, quid aliud pariunt, quàm ut corpus, quod animæ rationali instar mancipii subesse & parere deberet, jugum excutiat, & contra dominum suum insurgat, si non statim, saltem post aliquod temporis spatium? *Postea sentiet.* Tractandum & gubernandum est corpus instar asini: *Cibaria & virga, & onus asino, panis, disciplina & opus servo.* Eccl. c. 33. Asinus pascitur, & alitur, ut par sit laboribus; percutitur, ne recalcitret; oneratur, ut serviat. Hoc ipso modo tuum tibi tractandum est corpus: *Panis*, id est cibus parabilis, mensa frugalis: *disciplina*: id est frænum, quo cohibeatur: *opus*, id est labor, quo occupetur.

2. Crescebat Jesus scientiâ, gratiâ & virtutibus, quod non ita intelligendum est, Christum crescente ætate etiam nova incrementa adjecisse jam prius possessæ scientiæ, & gratiæ habituali; nam à primo statim conceptionis suæ instanti fuit plenus scientiâ & gratiâ: *plenus gratiæ, & veritatis*: sed cum

cum

cum S. Thoma P. 3. q. 7. art. 12. ita explicandum est, quòd Christus creverit in externis effectibus tam sapientiæ, quàm gratiæ divinæ, quos demonstrabat, indies majora & excellentiora opera majori simul virtute & excellentiori modo exercendo; non aliter quàm sol crescere dicitur, quamvis in se eandem semper contineat lucis copiam, eosdem radios, quando ad altiorem in zodiaco gradem eluctatus, & à suo indies ortu ad meridiem evedtus, totam faciem rutilante radiorum corona cinctam splendidius explicat, & diem ipsam clarius illuminat: genuinus itaque verborum prædictorum sensus est, quòd Christus indies, ac de die in diem magis inclaresceret, ac majora daret indicia, vultu, corporis gestu, morum compositione, modestiâ, gravitate, circumspectione in loquendo, in operibus suæ sapientiæ, prudentiæ, devotionis, & sanctitatis, illi ætatis gradui, quem conscenderat, congruentis; cum ergo Christus non posset in his crescere interius, crescebat hoc modo exterius.

Quid de te ipso judicas? an & tu crescente ætate crescis in virtute non tantum exterius, sed etiam interius? quot annos numeras tum vitæ, tum suscepti sacerdotii? crescentibus annis equidem creveris in scientiis humanis; an autem pariter creveris in exercitio virtutum supernaturalium, vehementer dubito: an forsitan etiam te tangit
illud

illud Isa. c. 95. effatum: *Senex, qui non implet dies suos, puer centum annorum.* Si horum de grege unus etiam tu fores, hodie adhuc manum ferid. admove resarciendis detrimentis præteritæ vitæ, *redimentes tempus, gressum, ac cursum accelerando instar viatoris, qui longiori quieti indulgens conspicit itineris socios multum prægressos, diem declinare, advesperascere, noctem imminere, se tamen à termino, quem jam attigisse deberet, adhuc longè distare.*

Multò deterius foret, si in virtutum studio & stadio non processisses, sed instar cancri retrocessisses. Fortassis circa initium suscepti sacerdotii longè majori fervore & devotione faciebas ad aram, recitabas preces canonicas, quæ nunc peragis tepidè, & obiter percurris ex arida consuetudine.

Via justorum similis est, ut sacræ dicunt paginæ, luci matutinæ, quæ semper magis crescit, usque ad meridiem perfectum: *justorum semita quasi lux splendeus procedit, & crescit usque ad perfectum diem.* Prov. c. 4. Hoc incrementum non continetur intra limites unius, ejusdemque virtutis, sed se extendit etiam ad alias virtutes: *ibunt de virtute in virtutem.* Psal. 83. Nunquam fatiantur, sed semper anhelant ad majus & clarius lumen gratiæ ac gloriæ: *Esuriunt & sitiunt justiciam:* e contrario via tepidorum similis est luci vespertinæ, quæ semper magis ac magis deficit, donec tota à nocturnis tenebris obscu-

retur,

retur, & a concubia nocte sepeliatur: *via impiorum tenebrosa, nesciunt, ubi corruant.* Prov. c. 20. & pedetentim eò cæcitatibus prolabantur, ut ne quidem suos errores agnoscant, & pecca a pro peccatis non habeant; vel saltem inter levia & venialia numerent delicta, quæ reipsa gravia, & mortalia sunt.

Aperi oculos, si & tu inter istos retrogrados & errantes planetas numerareris; Christumque roga per illud incrementum in assidue virtutum omnium exercitio, quo nobis prævit, ut uberem largiatur gratiam ad premeunda ipsius vestigia, & sequendum exemplum, in vita Christi privatâ exprellum; roga, ut tibi det robur, ne unquam in via perfectionis Ecclesiasticæ defatigatus, cursum sistas, & succumbas, in qua juxta D. Bernardi effatum: *non proficere, est descere; non progredi, est regredi.* Ep. 2.

3. Crevit Christus tam coram Deo, quam coram hominibus, *apud Deum & homines;* per hoc innuitur, incrementum in virtutibus Indies faciendum, his tribus dotibus præditum esse oportere i. ut non tantum hominibus crescere videaris in virtutibus, sed coram Deo reipsa crescas; aliàs virtutes tuæ non essent veræ ac solidæ virtutes, sed vana virtutum simulacra, phantasmata, & solennis hypocrisis: & hoc est, quod Christus prohibuit verbis illis apud S. Matthæum c. 6. *attendite, ne vestram justitiam faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.*

Malum

Malum non est, nec improbatum à Christo, facere justitiam, & exercere virtutum actus etiam *coram hominibus*; sed id solummodo: *ut videamini ab eis*, non alium nempe intendendo finem, quàm aucupandi auram popularem, laudem & æstimationem apud homines: & quid hoc aliud, quàm frustra fatigari, fumum captare, congregare divitias bonorum operum, easque in saccum vel crumenam conjicere utrinque patulam & fundo carentem, juxta illud Aggæi c. 1. *Qui merces congregavit, misit eas in sacculum peritum?* nam totus bonorum operum fructus evanescit, & deperditur; & ne quidem laus & æstimatio, quæ unicè quæritur, apud homines obtinetur; cum certum sit, simulationem diu durare non posse, & mendacium facile larvam detrahi. *Spes hypocritæ peribit.* Job. c. 2.

2. Non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus: & in hoc sensu accipienda sunt verba illa Christi Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in caelis est.*

Si hæc necessariò observanda sunt omnibus Christianis, longè strictius observanda erunt hominibus Ecclesiasticis, qui aliis exemplo præluere, & norma perfectionis Evangelicæ esse debent. *Forma facti gregis* 1. Petr. c. 5.

S 3. Sed

3. Sed primò locò , & ante omnia curandum est coram Deo , & postea primùm, ut etiam coram hominibus luceamus ; nec enim attendendum est, quid homines dicant, modò placeamus Deo : omnibus hominibus placere nemo potest ; sufficit proin, si vitæ nostræ tenor probetur Deo , & illis hominibus , qui verè homines sunt, nimirum sanæ rationis , & Christianæ prudentiæ ductum sequentes: soli Deo placere, parùm est, solis hominibus placere, vanum est, omnibus placere hominibus, impossibile est ; veri Ecclesiastici officium & studium est, conjungere gloriam DEI , & salutem proximi, subinde nihili faciendo, quidquid alii levioris ac sinistri judicii, pravorumque morum homines ogganniant, & opponant: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* ad Galat. c. 1.

In te ipsum jam oculos conjice ; si deprehenderis, te non quævisse, ut oportebat, in omnibus majorem Dei gloriam vel te nimia sollicitudine quævisse placere hominibus, ac timuisse illis displicere, vel nimium te abripi permisisse certis respectibus humanis, cum detrimento Divini obsequii, dole, promitte emendationem, & Christum instanter roga, ut tibi gratiam & vires te emendandi concedat per illam sapientiam & gratiam, in qua coram Deo & hominibus crevit tempore suæ vitæ privatæ.

Pun.

Punctum secundum.

Confidera, vitam Christi fuisse continuum obedientiæ exercitium: & erat subditus illis. Luc. 2. Hoc compendio declarat D. Lucas totam vitam, quam Christus privatim egit. Hæc obedientia fuit stupenda, si attendamus ad personam, quæ obedit, ad materiam, in qua obedit, ad modum quo obedit.

I. Ille, qui obediebat, erat Filius Patris æterni, ipsi æqualis si natura spectatur divina, & ideo superior illis quibus ultro se subiciebat; nam Josepho subiectus non erat ullo jure, non enim verus Christi pater, sed putativus tantum erat, & quantumvis Maria esset vera ipsius mater, humanitas tamen Christi unita divinæ naturæ Verbi, & hac de causa super omnes reliquas creaturas elevata, erat exempta ab omni subiectione, & obedientia tam matri, quam cuicumque alii domino, aut superiori creato præstanda; nihilominus Deus omnipotens, cui serviunt omnia, cui obediunt Throni, Dominationes, principatus ex angelicis Hierarchiis; cui subjiuntur omnes Reges terræ, is seipsum subicit cuivis, etiam minimo nutui Mariæ & Josephi, non semel, aut unâ & altera vice, sed millies & millies per triginta annos continuos, diu noctuque

indefessâ, & nunquam interruptâ, aut hinc
câ obedientiâ; quod satis denotant verba
illa: *erat subditus.*

Attoniti hæremus, quando in libro Josue
c. 10. legimus solem ipsum promptè obedi-
visse, & ad imperium ducis Israëliti-
cum suum cursum die illâ decretoriâ stitisse,
quod ipse sacer Codex non sine admiratione
exprimit; *obediente Deo voci hominis*: cum ta-
men hæc obedientia semel tantum fuerit ex-
hibita, & in negotio momenti maximi, vi-
delicet, ut insignem victoriam populi Israëliti-
ci contra Amorrhæos, insensissimos
suos inimicos promoveret, & coronaret.
Qualem & quantam proin oportebit nostram
esse admirationem, si consideremus conti-
nuam tot annorum obedientiam promptissi-
mam à Christo Mariæ matri suæ in rebus
etiam levissimis exhibitam, quæ quamvis
esset mater divina, & creaturarum omnium
perfectissima, infinite tamen inferior erat
dignitate Divini sui filii!

Atque hæc gesta sunt ad confundendam
& obtundendam nostram superbiam, quilibet
ceterum homunciones contemptibiles, fastu into-
lerabili audemus erigere cervices, jugum ex-
cutere, & debitam subjectionem denegare
Deo, & Dei in terra vicariis, aliquid impe-
rantibus. Roga JESUM, ut per suam stu-
pendam subjectionem, humilemque obedi-
entiam evertat abominabilem tuam super-
biam, & arrogantiam, qua excæcatus, læ-
pius

pius recusasti obedire mandatis Dei, Ecclesie, & illorum, qui Dei & Ecclesie vices gerebant.

2. Objectum suae obedientiae erant res viles, & abjectae, nimirum exercere artem fabri lignarii; hinc natus est sarcasmus ille Judaeorum Matth. c. 13. & Marc. c. 6. *Nonne hic est faber, & fabri filius?* Nec nobis persuadeamus, has occupationes fuisse solum leves, & ad fallendum tempus aptas, erant enim gravia potius, & corpus defatigantia ministeria, qualia sunt, dolare duros & nodosos asseres, conficere juga, aratra, ex quibus postmodum, quas non raro attulit, desumpfit similitudines; uti cum dixit: *tollice jugum meum. Nemo mittens manum suam ad aratrum.* Haec erat opinio Justini Martyris Apologiam contra Tryphonem scribentis.

Nec credamus, Christum hos in se suscepisse labores recreationis, aut animum a gravioribus curis divertendi gratiam, eo modo, quo etiam dictatores Romani nunquam terram proscindere consueverant *vomere laureato*; sed solum animo parendi patri suo putatio succollandi miseris, & paupertati matris suae, & ultro in se suscipiendi poenam, primo Adamo praevicatori inflictam: *in sudore vultus tui vesceris pane.* Gen. c. 3.

Non levis nos capit admiratio, legentes, quod Archangelus Raphael, non solummodo

modo ducem, sed & famulum junioris Tobia agere voluerit; qualis ergo nos stupor obruat necesse est, si in mentem reducamus, non Angelum, vel Archangelum, sed Angelorum, & totius universi dominum Josepho & Mariæ in obsequiis longè vilioribus famulam locâsse operam? quod DEI gloriam promovet, non est excellentia operis, sed intentio, & obedientia operantis? quæ non est minoris pretii, quando opus injunctum non est splendidum, sed obscurum; quàm quando est illustre, & splendorem adjicit ipsi operanti.

Inter officia minùs splendida clericis injuncta numerari possunt, instructio parvulorum, ignorantium, rudium, bardorum in rudimentis fidei Catholicæ. An non hoc officium te, & sublimem tuum characterem, ac statum minimè decens despexisti, subterfugisti, cùm tamen Christus JESUS in rebus longè inferioribus & vilioribus nunquam obedire recusaverit? *Nunquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potius ut obediat?* dicebat olim Samuel ad Saulem regem 1 Reg. c. 15. Nunquam opus aliquod, quamvis minimum, censendum aut dicendum est vile, quod propter Deum, & amore Dei peragitur; & peregère sedulo etiam Nuntii Apostolici, uti S. Xaverius; etiam Episcopi, uti S. Franciscus Salesius; etiam Cardinales, uti S. Carolus Borromeus.

3. Modus obediendi erat. 1. ut promptè obediret, etiam in rebus arduis: hoc clarissimè demonstravit promptissimè obediendò divino Patri in re omnium difficillima, dum mortem ex ejus præcepto subiit, non minùs doloris, quàm ignominia plenissimam: *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* ad Philipp. c. 2.

2. Cum lætitia; dum semper ostendit summam se delectationem capere ex obedientia, & hujus exactâ observatione; hac de causa obedientiam suam vocabat cibum: *meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* Joan. c. 4. Quasi eandem sentiret voluptatem in exercitio obedientia, quam sentit famelicus in comestione sapidissimi cibi.

3. Obedivit ex obedientia, id est, obedivit, ut obediret ex puro motivo obedientia, in quo propriè consistit virtus obedientia; illud exequi, quod imperatum est, non aliâ de causa, quàm quia imperatum est: exequi, quæ imperantur, tantummodo ideo, quia tuo genio arrident, non est actus obedientia, sed amoris proprii; exequi aliquid ob id ipsum, quia repugnat genio, iterum non est actus obedientia, sed mortificationis: Motivum formale, quod exequere debet obediens, aliud esse non potest, quàm quia superior ita jubet.

Considera, an tua, quam hætenus exhibuisti, obedientia his dotibus sit prædita;

quod facile potes deprehendere ex variis præceptis, quæ sunt observanda. Primum sit, quod Ecclesiasticum obstringit ad recitandas horas canonicas: an has recitas promptè & alacriter, debito tempore; vel differis usque ad tempus nocturnum, velut morosus debitor, qui differt solutionem ad extremum momentum, & quamdiu potest? 2. an has recitas cum gaudio, vel hoc ducis tibi oneri, & illos felices reputas, qui huic obligationi non subjacent?

3. An obedis animò satisfaciendi præcepto, vel ex arida consuetudine?

O quot præcepta implentur non majori fervore, quàm præcisè, ut peccatum evitetur, sine omni merito obedientiæ! hoc modo observantur jejunia, abstinetur à carnibus die Veneris, & Sabbati: transiguntur dies dominicales, & festorum ita, ut nec minima cogitatio subeat animum, per hæc satisfaciendi præcepto: *sobriè, justè & piè vivamus.* ad Tit. c. 2. Non sufficit, ut sis sobrius, justus, & pius; sed insuper requiritur, ut sis sobriè sobrius, justè justus, & piè pius.

Punctum tertium.

Considera vitam Christi semper fuisse falsis & sinisteris mundi axiomatibus, & dogmatibus, juxta quæ tunc maximè vivebatur, è dia-

ē diametro oppositam; & in illo hominum vivendi modo consistebat regnum sathanæ: hinc edixit suum regnum non esse institutum juxta idæam regnorum hujus mundi: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Quod ipsum jam pridem prædixerat per suum Prophetam Isa. c. 55. *cogitationes meæ non sunt cogitationes vestræ.* Perpende modum, quo Christus se opposuit mundi dictaminibus falsis: cum tu hunc modum, quo Christus usus est, ad proprium tuum, & aliorum pariter profectum in virtute, imitari debeas.

1. Duplex fuit modus, quo se Christus perverfis mundi dictaminibus opposuit; verbis, & factis, & quidem prius factis, & postea verbis: *cœpit Jesus facere, & docere.* Act. 1. Prius *facere*, & postmodum *docere*: Vitæ privatæ proprium erat *facere*; ad vitam Christi publicam spectabat tempore Prædicationis *docere*. Incumbebat Christo docere & prædicare, beatos esse pauperes; beatos, qui sua distribuunt inter egenos, & largas elemosynas dispensant, beatos, qui lugent, & deplorant peccata sua; beatos, qui cum omnibus pacem colunt; beatos, qui persecutionem patiuntur, & odio sunt hominibus hujus mundi. Antequam publicè & toti mundo doctrinam suis placitis, & dictaminibus altè imbibitis tam contrariam proponeret, hanc in seipso, & per seipsum in praxim deducere decrevit; hinc vitæ genus elegit paupertatis angustiis,

S s

in,

incommodis, adversitatibus, laboribus, doloribus, opprobriis, & contemptui subjectum.

De Herode se ad mortem quærente & persequente nullam sumpsit vindictam, quamvis facillimè potuisset: ut se hujus furori subtraheret, non usus est mediis plausibilibus, admiratione dignis, non deprompsit miracula, quæ in promptu habebat, sed omnium vilissimum, quod ignavi, & væcordes solent, arripuit, præcipitem, & longinquam fugam.

Poterat eligere vitam commodam, rebus necessariis omnibus abundanter, & ad delicias usque instructam; sed maluit ducere vitam molestantem, servilibus ministeriis, & duris laboribus asperam, inter arctos fabricæ officinæ parietes conclusam. Poterat sibi deligere aulas regias, thronos, scepra, coronas, & imperia, sed maluit vivere subditus, & obedire non solum Mariæ, & Josepho, hominibus sanctis, & perfectis, verum etiam iniquis, & impiis, nimirum Romanis Imperatoribus, idololâtris, quibus solvebat tributa, parebat mandatis & edictis. En modum, quo Christus auspicari voluit conversionem totius mundi, quo etiam Apostoli Christi, Magistri sui Divini sequaces discipuli, ad eundem finem postmodum feliciter usi sunt.

2. Jam mentem collige, & attentè dispice, qualia sint hæc Christi exempla, qualis hæc Christi doctrina; dic & conclude cum

cum D. Bernardo: *aut Christus fallitur, aut mundus errat.* Nequit autem Christus fallere, nequit falli, à Divino Patre nobis datus Magister: *Ipsam audite.* Matth. c. 17. missus in mundum, ut ipse ait Joannis c. 18. *ad hoc veni, ut testimonium perhibeam veritati.* Stetit Christo titulus & officium Magistri hujus doctrinæ non unico verbo *Fiat*, quo totus olim orbis productus est, sed mille incommodis, vilipensionibus, sudoribus, sanguinis usque ad ultimam guttulam effusione & ipsa morte. Ergone tu dicere audebis, quod Christus nos fallat, mundus verò nos vera & solida doceat?

Nec te conturbet magnus illorum numerus, qui fallacem mundum sequuntur; nec enim semper illa via est melior & tutior, quâ frequentius, & à pluribus itur, cum non ignores, *multos esse vocatos, paucos verò electos*; Matth. c. 20. Scis viam, quæ ducit ad salutem, esse arctam & arduam: *arcta est via, quæ ducit ad vitam.* Matth. c. 7. Præferendum est etiam in rebus humanis iudicium paucorum prudentium & sapientium, iudicio & consilio plurimorum stultorum, quorum *infinicus est numerus.* Eccle. c. 1. Itaque hanc ignominiam nunquam inuras exemplis, quibus tibi Christus præluxit, & doctrinæ, quam tibi proposuit & explicavit, ut hanc practicè & ipso facto postponas, quod fortassis hæcenus contigit, doctrinæ & exemplis mundi deceptoris, & mendacis.

3. Ho;

3. Homini Ecclesiastico, qui non solum propriæ, sed etiam alienæ, salutis invigilare debet, longè magis, quàm omnibus aliis incumbit, ut exemplum Christi præ oculis habeat, & imitetur, verbis & factis se opponendo, & contrarium demonstrando perniciosis mundi principiis, & placitis, alias una manu extruet, & alterâ destruet; qui fecerit, & docuerit hic magnus vocabitur. Matth. c. 5. D. Dionysius exigit, ut sacerdotes sint, sacri & sacantes, perfecti, & perficientes, illuminati, & illuminantes.

Si apud te mundi dogmata, & dictamina adhuc in æstimatione aliqua sunt, nunquam imprimes aliis verum ac perfectum mundi contemptum, adhortationes tuæ similes tormentis bellicis copioso pulvere pyrio factis, sed nullo immisso globo, quæ fragorem quidem ingentem excitant, sed nullum feriunt. Pauli methodus tenenda est, qui de seipso ita scribere potuit ad Corinthios c. 2. *Sermo meus non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs.* Si tu ipse vitio avaritiæ irretitus es, quomodo persuadebis aliis divitiarum contemptum, & ne his etiam, quando affluunt, cor non apponant? si tui honoris tam appetens, propriæ existimationis & reputationis tam tenax es, ut vel minimam hujus læsionem ferro & igne ulcisci cupias, quomodo permovebis alios, ut contemptus, & palmares injurias sine nausea deglutiant, &

tacito

tacito stomacho concoquant, nemo dat, quod non habet: qui non ardet, non accendit. S. Gregorius.

Veniam nunc pete à Deo, si & tu de tribu illorum fores, qui factis & exemplo evertunt, quod verbis extruxerant; & Christo sanctè promitte, te semper contrarium fore mundi canonibus, & dictaminibus, exemplo imprimis, & imitatione Christi, deinde etiam verbis, instruendo, concionando &c. Finem imponat toti meditationi ad implorandum Divinum auxilium sequens oratio:

Deus, qui generi humano Filium tuum unigenitum Doctorem vitæ tribuisti; da nobis quæsumus, & quæ docuit, intellectu conspiciere, & quæ egit, imitatione complere; Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum &c.

Dies octava.

Meditatio decima quinta.

De Christi predicatione, & vita publica.

Peractâ solitâ oratione præparatoriâ formabis tibi sequentia duo præludia.

Pri-